Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36947
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

De efficacia corporis christi

Corpus christi est egrotis medicina peregrinantibus dieta debiles confortat languidos sanat sanitatem conservat fit homo mansuetior et pacientior ardencior ad graciarum acciones devocior. Hec ille. Ubi nota quod facit mencionem de sanguine ostendens ut laicales communicent tantum sub specie panis et non sub specie vini quia sanguis christi datur eis cum corpore sub specie panis.

Probacio quod sanguis christi datur laicis cum corpore christi ihesu.

Et hoc probat sanctus Thomas 4° sentenciarum et in compendio theologice veritatis et in sua summa de sacramentis ubi sic expresse dicit: Cum laicis datur sanguis christi in corpore in modum unionis quia nemo est corpus sine sanguine licet recipit sanguinem sensibiliter divisim in signum quod sanguis erat divisus a corpore tempore passionis christi et ideo dictum est: Hoc facite in meam commemoracionem. Et quod recipientes corpus christi sub specie panis recipiunt et sanguinem christi hoc probat sanctus Thomas dans exemplum in semella imbibita, sicut quando dicta semella comeditur etiam et bibitur per modum potus sub specie panis videlicet semelle. Sic etiam est aliqualis similitudo in sacramento panis cum fidelis recipit corpus christi sub specie panis bibit sanguinem concomitante licet non bibit sub proprio signo scilicet vini quod signum nichil facit laico ad salutem sed in oblacione sacerdotis multum, quoniam offertur pro peccatis omnium fidelium vivorum et defunctorum in purgatorio existencium quia laica quando hoc non reputat nisi utilitatem tantum recipientis si est bene dispositus alias non. Quia si non est bene dispositus dampnacionem sibi accipit ut dicit per sanctum Paulum prima Cor. 11 capitulo. Et quod recipientes corpus christi sub specie panis recipiunt sanguinem christi etiam probat sanctus Gregorius in libro dyalogorum per certis miraculis quia non credentibus sanguinem christi sub specie panis illa species panis sacramentalis versa fuit in digitum cruentum et sanguinolentum ut in tribus heremitis et una muliere que dabat album panem sancto Gregorio ad consecrandum. Et sanctus Thomas in summa sacramentorum mandat dare laicis simplex vinum vel aquam non consecratam pro ablucione et debent laici moneri ad recipiendum et non omittere bibere propter misterium aliquod sed ut laventur ora sumencium ne remaneat aliquid reliquiarum panis eukaristie infra dentes vel linguas et etiam ut servetur in ore propter maleficium exercendum ut expertum fuit tempore sancti Ambrosii quomodo in trunco apum hostia consecrata per unam mulierem fuit servata et abscondita, cuius miraculi quoddam ibi accidit signum hoc habetur in Mediolano videlicet monstrancia cerea quam apes circa corpus christi fecerant et sic patet de 2°. Qui porrigit corporis et sanguinis sacramentum christi laicalibus sub utraque specie sacramentali peccat contra tota scripta scripture veteris et nove legis et sanctorum patrum ab ecclesia approbatorum.

De tercio quod est contra sanctam ecclesiam

Constat iam tercium videre quod peccat communicans populum laicalem sub utraque specie sacramentali. Quidam ex simplicitate ut beatus Cyprianus et sanctus Donatus et alii plures ut prius patuit. Quidam ex pura malicia ut erronei et heretici sicut Nestorius